





IN OBITVM  
 EXCELLENTISSIMI ATQVE ILLVSTRISSIMI DOMINI  
 DOMINI  
 HANS GOTTHELF  
 A GLOBIG

DYNASTAE IN ZEHISTA ET GIESENSTEIN, SERENISSIMI  
 SAXONIAE ELECTORIS CONSILIARII INTIMI, SVPREMI IN VRBE  
 SENATVS ECCLESIASTICI PRAESIDIS

PATRONI CERTISSIMI ATQVE INDVLGENTISSIMI,  
 TRISTEM REIPVBLICAE ET LITTERIS,

LESSVS

ACADEMIAE LIPSIENSIS.



LIPSAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

MDCCLXXXIX.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words are faintly visible, including "HANS GOTTFRIED" and "G. G. GLOBIG".





**C**orruit, heu! ciues, funestam flete ruinam,  
Corruit in celfo fracta Columna loco.  
Occidit eximium Dresdenfi Sidus olympo,  
Quod nobis laetos tot dedit ire dies.  
Heu! dedit, o dulcis memoratio plena doloris!  
Nec posthac nobis amplius ire dabit.  
Numquid sentitis fatis, inter publica luctus  
Vulnera, quam nobis faucia corda tremant?  
Pierides patriae, primo trepidatis ab ictu,  
Vt tremit a rapido fulmine tacta domus,

Quae stupor ora tenet, lacrymantia signa doloris  
Viscera rodentis mox manifesta dabit.  
Sic cum deficiunt disrupti cuspide nerui,  
Omnia mox animi sensa rigore stupent.  
Ast ubi destillans paullatim vulnere sanguis  
Obtusi sensus vim reuocare solet,  
Tum vero exacuit tenuissima quaeque dolorem  
Et renouat, quoties faucia fibra tremit.  
Innumerae dicent venientis temporis horae,  
Quam nobis magnum sustulit hora Virum:  
Quantae virtutes, quot componantur in vno  
Egregiae dotes funere GLOBIGIL.  
Musa Virum quem moesta refers? quae funera plangis?  
Heu! misces dulci dira venena mero.  
Dicere non horres funus, quae nuncia morbi  
Spectares nostros contremuisse lares?  
Quem nobis animum, quos spes incerta salutis  
Imis pectoribus perculit, esse putas?  
Si quid habes, nostrum quo delinire dolorem,  
Quoque leuare queas vulnera facta, refer.  
Non habet infelix nisi luctibus addere luctus,  
Et lacrymas lacrymis multiplicare suis.

Languet GLOBIGIVS: volat atris rumor ad aulam  
AVGVSTI pennis, languet amicus, ait:  
Surgebat placido nigrans nubecula vultu,  
Intus et affecti testis amoris erat.  
Aulae turbantur Magnates; nam vel in Aula  
GLOBIGII meritis non inimicus erat.  
Cernere tum licuit, quam posses aulicus esse,  
Et bonus, et cunctis intimus esse bonis.  
Sanctus quam timuit, cui praeerat Ille, Senatus,  
Ne eximium raperet Parca seuera ducem.  
Moestam peruadunt rogitantia murmura Dresdam:  
Sci'n, quanti premitur quam bona vita Viri?  
Templa patent precibus, mens estque precantibus vna:  
Parce, Deus, vitae! tu potes, adfer opem!  
Quo bene facta Viri patuerunt, fluminis instar  
Arida quod circum gramina nutrit aquis,  
Quis fuit Antistes, quis religionis amator,  
Quin pia pro dubia vota Salute daret?  
Sed quid commemoras alieni signa doloris?  
Parcis quippe, tuum Musam tacendo, tibi?  
Noli oblita tui, noli in te mollior esse,  
In tua cum fatum viscera triste furit.

Quo plus turbarum, plus intulit ille finister  
Nuncius, ac intra limina nostra metus?  
Non oculos vidit lacrymarum rore madentes,  
Quos dudum lacrymas dedidicisse putes?  
Non gemitu vidit praecordia mota virorum,  
Cum, quid GLOBIGIVS, perfequeremur, agat?  
Vix ita terrentur, timidissima turba, columbae,  
Turris vbi quassae concrepuere trabes.  
Nunc jacet, heu! cuius licuit recubare sub vmbra,  
Quercus ab indomito turbine fracta jacet.  
O ciues, ciues, jacet, en! primordia nobis  
Vnde querelarum? meta doloris vbi?  
Ille perit, quantum nuper tibi, Lipsia, Sidus!  
Quantum praesidium! gloria quanta tibi!  
Iustitiamne prius, prius an memoremus amorem?  
Quae comites juncta semper iere manu.  
In tantone Viro quam vasta scientia rerum,  
Miremur potius, quamue modesta fuit?  
Qui veritus frontis grauitatem accessit amicus,  
Dulcibus alloquiis exhilaratus abit.  
Semper enim rectique tenax, et amabilis aequae,  
Sive petita daret, siue negaret, erat.



Vna potest harum virtutum quaeque sub astra,  
Si sua stet merces, nomina ferre Viri.  
Omnes quid tandem censēs potuisse? Sed omnes  
Vna suis radii, Phoebus vt astra, premit:  
Firma stetit rebus tranquillis, firma procellis,  
Mortis ad aspectum mens quoque firma stetit.  
Languet et accurrit Medicus mox partibus aegris  
Laturus salubris, si queat, artis opem,  
Languet et accurrit, fontis solatia sacri  
Qui ferat afflicto religionis opem,  
Ad fatale tacet gemebundus vterque cubile  
Tam cari capitis, tanta pericla videns.  
Ipse sed intrepidus: „quid enim trepidatis, amici,  
„Dicite; quid metuens lingua repressa filet?  
„Emoriar, notui, vitam nec inutilis egi;  
„Non hodie demum, credite, disco mori.“  
Sic ait arridens, atque imperterritus vnus  
Horam perferens mortis adesse suae.  
I nunc, Musa, Virum nimiis ne laede querelis,  
Cui non sub mortem, quod quereretur, erat.  
I potius versum memori committe tabellae:  
Viuendo docuit, nunc moriendo docet.

Y

Ergo recede, dolor, sub pectora, donec et vlla  
Vita manebit ibi, mutus ibique mane.  
Ad tumulum lubet ire Viri, si forte moretur,  
Atque pios illic audiat vmbra fonos:  
Nulla Tui veniet nobis obliuio, numquam  
Mente cadet meriti gratia fumma Tui.  
Inter caelestes, Tu pars inflebilis, auras,  
Miles ouans vitae praemia lauta capis.  
Quae super es magni (lacrymis ignosce subortis,  
Pars tumultata Viri: Sit Tibi terra leuis!



ULB Halle 3  
006 761 976



PK 2# 3616



Aus der Breitkopffschen Faggen- & Laub-  
zu Leipzig



F.K. 83.

v. 178.

IN OBITVM  
 EXCELLENTISSIMI ATQVE ILLVSTRISSIMI DOMINI  
 DOMINI  
 HANS GOTTHELF  
 A GLOBIG

DYNASTAE IN ZEHISTA ET GIESENSTEIN, SERENISSIMI  
 CIAE ELECTORIS CONSILIARII INTIMI, SVPREMI IN VRBE  
 SENATVS ECCLESIASTICI PRAESIDIS

ONI CERTISSIMI ATQVE INDVLGENTISSIMI,  
 TRISTEM REIPVBLICAE ET LITTERIS,

LESSVS

CADEMIAE LIPSIENSIS.



LIPSI AE

EX OFFICINA BREITKOPFFIA

MDCCLXXIX.

